ANIMADVERSIONES NONNULLAE QUOAD VARIAS MORBORUM CAUSAS...

Ippolito Antonio Policreto

ANIMADVERSIONES NONNULLAE
QUOAD VARIAS MORBORUM CAUSAS

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD

MEDICAM LAUREAM

CONSEQUENDAM

HABITA

IN CELEBER. C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AB

HIPPOLYTO ANT. POLICRETI

FOROJULIENSI

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXXVI.

IOSEPHO

FRATRI · DVLCISSIMO

AMANTISSIMVS · FRATER

D · D · D ·

Si quis in historia medica sibi quaerendum proponeret, cur quolibet tempore non eadem semper fuerit morbos determinandi, eademque curandi ratio, is profecto causam in variorum systematum promulgatione reperiret. Medicis enim a via deviantibus, quam Cous ille perillustris signavit, et de peculiarium tantum casuum observatione ac experientia sollicitis ac intentis, id factum est, ut generales propositiones a quibusdam casibus eruerentur, quarum applicatio non eadem semper essa potest, eo quod tales medicae artis cardines infirmis fulciantur fundamentis. Juvat, ut pervetustas omittam opiniones, recentium Chymicorum systemata recordari, quae post Lavoisierii inventa in lucem prodiere. Celeberrimus hic vir ex effectibus, qui in atmospbaera per respirationem obtinentur, statuit in animalibus fluidis et perennem oxygeni immissionem et hydrogeni ac carbonii expulsionem ad valetudinis conservationem esse necessariam. Praeterea morbos in duas referri classes censuit, inflammatorios videlicet et putridos, quorum primos a nimietate immissi oxy-

geni, postremos a carbonii ac hydrogeni redundantia originem suam ducere arbitratur. Demum ad curationem id enitendum esse docuit, ut principia ad pristinum ordinem ac normam reducerentur; idest in morbis inflammatoriis quiete, nutritione ac, quoad purgationes, prudentia utendum esse monstravit, ut hydrogenus et carbonius vel servetur vel immittatur eo consilio, ut redundanti oxygeno coaequetur: in reliquis vero morbis copia ciborum carbonium et hydrogenum plus justo introducentium imminuta, haec fluida quoque minuerentur, vel purgationum frequentia extenuarentur. Hujusmodi systema a quibusdam celeberrimis chymico-medicis diversimode modificatum Browniano systemate abolitum fuit, per quod Temisonianum pluribus obliteratum saeculis revixit. Brown enim causas morborum inesse voluit vel in excessu, vel in defectu virium animalium. Nimis auderem, si impugnandas mihi sumerem variatissimas modificationes postremis hisce annis per celebratissimos practicos Brownianae sententiae accommodatas, et multo magis, si meliora exhibere tentarem. Verum nonnulla tantum proferam, quibus evincere studeam, Medicorum inter se discrepantiam jure tribui posse incertis vagisque propositionibus de numero ac natura causarum producentium signa seu phaenomena vitae, quae morborum constituunt varietatem. Mihi autem pro viribus Pathologorum divisiones quoad morborum causas consideranti, illud asserendum videtur, in duas tantum posse tribui classes, videlicet in causas externas, vel, uti dicunt, occasio-

nales, et in causas internas indicia ipsa producentes. De earum tamen agendi modo, deque earum effectibus attenta fieri debet animadversio, quod nunc pro mearum virium tenuitate mihi faciendum propono.

Externas morborum causas quum dico, ea omnia intelligi debent exterius agendi vim habentia sive circa corpus, sive interius intromissa vel efformata, quae eorum vi et possunt et reapse valent quorumdam textuum vitalitati communicare actionem ab ea diversam, quam vitalitas ipsa valetudine florente vitae phaenomenis solet exhibere. Hinc etsi fluida ipsa animalia per totum corpus discurrentia corpus ipsum essentialiter constituant, haberi tamen debent tamquam potissimae causae externae, quibus phaenomena causantur morbos constituentia, quum fluida ipsa vi agunt non solita contra superficies internarum cavitatum vasorumque quibus influunt. Verum hae omnes tantum causae sunt occasionales phaenomenorum prospera vel infirma valetudine. Horum phaenomenorum causae, ac ideo etiam causae ipsorum indiciorum morbos constituentium, internae nuncupantur, eaeque sunt variae vitalitatis gradationes, quae quibusdam inhaerent textubus, quoniam vitalitatis aut alicujus diversae gradationis actione sublata nulla in corpore aegro vel sano apparent vitae phaenomena. Sed de vitali vi, quae diverso agendi modo, aut viribus diversis vitalibus se prodit, Physiologorum recentium sententiae adhuc in incertum nutabant, nec constiterunt nisi nostris hisce temporibus, quemadmo-

dum videre est in elementis physices corporis humani clarissimi Physiologi, in hac nostra Universitate Professoris amplissimi, Gallini. Non ego ea proferam quae in causa fuerunt ut statueret, vim unam ab ipso positam ac vitalitatem appellatam ab illa universali materiae vi derivare, qua caelestia terrestriaque omnia corpora, corporum moleculae, elementaque ipsa moleculas componentia ad se invicem tendunt, sibique cohaerent. Illud tantum in medium adducam, videlicet omnes animalis corporis textus de hujusce vitalitate aliquo modo participes esse, et a celeritate ipsa qua ejus actio panditur in singulis textus partibus, ipsam vitalitatem in totidem varias gradationes distingui debere, ideoque ipsam sensibilitatem in nervis, in musculis *irritabilitatem*, *contractilitatem* vel *turgescentiam* vitalem appellari in membranis ac praecipue in textu celluloso. Sed observatione est dignum, hanc nempe vitalitatem gradationumque varietates cum proprietatibus convenire in quibusdam textubus animalibus, quae inorganicis etiam textubus sunt communes; eo quod non omnes moveantur, nec per effectus ipsis proprios manifestentur, nisi quum in textus, quibus inhaerent, externa agat causa. In eo autem differunt, quod proprietates corporibus inorganicis communes, quemadmodum ossium durities, cartilaginum elasticitas, ligamentorumque flexibilitas tunc suam promunt actionem, quum externa causa sensibilem nobis exhibet compressionem distensionemve voluminis, quod magis minusve prompte in pristinam restituitur conditionem ab inhaerentis pro-

prietatis actione, sed quando tantum comprimens vel distrahens tollitur causa. Vitalitas vero ejusque variae gradationes a causis moventur externis, quarum agendi ratio in textus ad quos pertinent, nostris nequit percipi sensibus, quemadmodum neque patet, quomodo textus harum causarum actionem recipientes citius vel tardius se in pristinum recipiant, usque dum vitalitas vel aliqua ipsis diversa inhaeret gradatio.

Licet tamen externarum actio causarum in textus, quibus vitalitas cum aliqua gradatione inhaeret, minima sit, nec conspicua; animadvertendum tamen est, corpus, moleculas, molecularumque elementum agere non posse, nisi per impulsionem attractionemve, ideoque nisi inter se admovendo, vel disjungendo moleculas et elementa textus illius circa quem agunt. Optime hinc a Physiologis et Medicis factum est, qui unica stimuli vel impressionis appellatione non apparentem externarum causarum actionem intelligere voluerunt, per quas tamen in mutua molecularum elementorumque collocatione mutatio debet fieri, ut vel validius valeant mutuam actionem, quae ad conjunctionem tendit, exercere, vel magis possint se invicem distrahere, vel, ut clarius fortasse dicam, volumen ipsum textuum in quos agunt, restringere vel dilatare. Hujusmodi stimuli seu impressiones sunt causae tantum occasionales et vitalitatem ad actionem ejusque gradationem excitantes, ut phaenomena vitae producantur, quae profecto sita sunt in contractione vel dilatatione plus minusve prompta et, ut ita dicam, repentina

*

10
textus in quo aliqua vitalitatis inest gradatio, cujusmodi contractio vel dilatatio voluminis in pristinum statum promptam ac instantaneam sequi debet remissionem. Voluminis mutatio a causa externa immediate pendet, et hac mutatione vitalitas ejusque gradationes tamquam passivae haberi possunt: prompta vero voluminis in pristinum remissio monstrat inhaerentem vitalitatem tali praeditam esse proprietate, ut ejus actio seu effectus solum a causis excitetur externis. Porro certum est, quod illis in textubus quibus voluminis mutatio et remissio non instanter sibi succedunt, videlicet in musculis, membranis, textuque evidenter celluloso, mutatio voluminis sive contrahatur sive turgeat, ante omnia et prompte apparet, deinde vero ejusmodi voluminis in pristinum remissio. Quoad nervos vero mutatio remissioque adeo sibi succedunt instanter, ut duobus hisce in casibus mutatio nulla compareat.

Non est hic locus observationes illas omnes proferendi, quibus evincitur nervorum sensibilitatem sitam esse in capacitate instanter transmittendi impressiones ab una ad alteram eorum extremitatem, quin in eorum volumine nulla quidem deprehendatur mutatio: sed dubium non est ex hac ipsa capacitate impressiones, quae per externa corpora seu circumstantias, seu immissa aut efformata in internas cavitates in partibus gignuntur ad eas recipiendas expositis, celerrime transmitti ad maximum nervorum centrum et ad cerebrum vel recta, vel quorumdam gangliorum meatu. Certum itidem est, ipsas impressiones ab

eodem centro maximo et a cerebro progredi aut recta, aut per quaedam ganglia usque ad organa illis praedita gradationibus vitalitatis, quae nominibus irritabilitatis, contractilitatis vitalisque turgescentiae distinguuntur. Partes ad recipiendum impressiones expositae generatim sensus organa appellantur, quod impressiones usque ad centrum maximum seu cerebrum transmissae in causa sunt facultati animae propriae quae inibi est, eas distinguendi, quaenam scilicet veniant, quaenam ibi formentur, decomponantur, iterumve componantur, ac propterea sensationes, ideas determinationesque ipsis respondentes effingendi. Organa irritabilitate, contractilitate, seu vitali turgescentia praedita, motus organa generatim dicuntur, eo praecipue quod ex impressionibus per nervos usque ad ipsa progredientibus, inhaerentis vitalitatis gradatio excitatur ad producendos motus animales illis respondentes.

Verum meum non est singulas physiologicas in medium afferre propositiones, quae demonstratione amplius non egent, quoad nervorum functiones a peculiari compositione ac distributione organorum sensus ac motus, et a distributione pendentes nervorum, quae aut impressiones factas in organorum sensus ad centrum maximum et ad cerebrum, aut ab his ad motus organa transmittant. Satis erit ostendisse, corporum externorum seu circumstantium, seu in internas cavitates immissorum vel formatorum actiones omnes causas esse externas et pro causis occasionalibus esse, ut actio seu potentia centro

maximo et cerebro inhaerens excitetur, nec non ut variae vitalitatis gradationes, quae in motus organis insunt, promoveantur, quae sunt causae internae et quidem verae causae vitae phaenomena producentes.

Duo adjiciam. Primo: quum causarum omnium exteroarum actiones eaedem sunt, ejusdemque validitatis, quum sensus organa motusque recte se habent quoad formationem collocationemque, quum inhaerentis vitalitatis gradationes in nervis et motus organis suo praeditae sunt energiae debito gradu, quum denique facultas in centro maximo et in cerebro commorans normali modo impressiones ibi pervenientes seu modificatas distinguit; tunc vitae phaenomena quae habentur, perfectam monstrant valetudinem. Hinc quum insolitae sunt causae externae, aut earum virium gradus solito est diversus, quumque interoae causae vim solito majorem vel minorem exercent; vitae phaenomena, quae apparent, morbos constituunt et symptomata appellantur. Secundo: maxime influunt nervi in his omnibus phaenomenis propter eorum actionis celeritatem distributionemque cum una eorum extremitate aut in sensus aut in motus organa, dum omnes cum alia extremitate simul in centro maximo et cerebro junguntur.

Ex his omnibus deducitur, tum quum insolitae agunt causae externae, aut viribus solito diversis, prima indicia seu phaenomena vitae aberrantia ab illis, quae integram constituunt valetudinem, debere per nervos eorumque massam produci. Nervi velocius impressiones recipiunt transmit-

tuntque ubique, et per has in causa sunt sensationum, idearum determinationumque, quas successiva series animalium motuum subsequitur, ab illa serie profecto discrepantium qui in prospera efficiuntur valetudine. Prima siquidem symptomata quae hanc aberrationem indicant, a nervis semper procedunt, sunt nempe aegritudines, rigores, tremores, oscitationes, calores etc. Ex variis vero textubus reagentibus, quibus gradatio aliqua inest vitalitatis, quum per nervos insueta transmittitur externarum causarum aut virium solito diversarum impressio, varietas evincitur indiciorum, quibus durantibus morbi absque dubio formantur. Hi vero morbi ad nervos et pertinere dicuntur et reapse pertinent, usque dum impressionum effectus parietibus cavitatum cordis et vasorum transmissi notabilem non inducunt mutationem in animalium fluidorum successivis assimilationibus; sed accelerationem seu tarditatem afferunt in motu, ac partitione nutrientium fluidorum, quae fluida apta sunt ad ordinatam compositionem ac energiam servandam textuum ipsorum, quibus vitalitatis inhaeret aliqua gradatio: acceleratio vero haec seu tarditas efficiunt, ut diversae vitalitatis gradationes variis textubus propriae vim suam in reactione vel acquirant, vel amittant; immo possunt, hac vi aucta vel imminuta, eadem symptomata manifestare, absque causarum insuetarum impulsu, et absque viribus solito diversis. Morbi hinc provenientes ad nervos semper spectant, et ut curentur, necesse est, ut actio insuetarum causarum removeatur. Quod si sym-

ptomata ob auctam vel imminutam vitalem vim perseverant, tunc necessario fit, ut in causis externis quoad earum agendi rationem modus servetur, ut fluidum nutritioni inserviens circulationem ac distributionem suam reassumat, et textus pristinae normali compositioni ac vitali restituat energiae. Helveticorum Nostalgia in exemplo est nerveorum morborum, qui ab insolitis pendent impressionibus, quibus cessantibus cessant et ipsi. In exteras regiones Helvetii quum migrant, tali ac tanto in patriam redeundi tenentur desiderio, ut, huic nisi pareant, gravi premantur nervorum affectione, quam Pinel inter dementias collocavit, symptomata sunt nerveae laesiones, vasculares, digestivae: sed primo rupium natalium adspectu disparent. Pari modo illis regionibus, quibus aer est impurus, morborum formae variae suscitantur; sed si quis similibus affectus morbis illico statim puriori fruatur aere, hoc unico remedio in pristinam restituitur valetudinem; quum tunc haec affectio solummodo a nervis pendeat, videlicet a prompta remissione impressionum per nervos insuetarum.

Juvat nam advertere, quod ipsae impressiones vel insuetae vel viribus solito diversis excitatae in superficie cavitatum internarum cordis vasorumque per insolita fluida, seu per nova fluida absorpta et in circulationem vecta, nerveis tantum indiciis supra enunciatis ipsae quoque primam dant originem, priusquam eorumdem fluidorum ambientium permanentes efformentur irregulares assimilationes, quorum impressionibus, vel insue-

tis, vel viribus solito diversis, interni, ut fertur, et universales morbi constituuntur. Quum insolita vel nova fluida absorpta regulariter citò possunt assimilari, cessat statim morbus, qui haberi debet tamquam effectus promptae transmissionis impressionum nervearum, et hinc tamquam nervei morbi sunt censendi. Similem nervorum morbum quotidie omnes experiuntur, quum novus absorbetur chilus, usque dum successivis assimilationibus majoris compositionis et successivis assimilationibus retrogradae decompositionis alternantibus, ambientia fluida ad naturalem celeriter compositionem revertantur.

Quum externae causae occasionales insuetas vel viribus solito diversas impressiones edere persistant, sive prius fiant in superficie internae cordis vasorumque cavitatis, vel prius aliis in organis fiant, transmittanturque per nervos ad earumdem cavitatum vasorumque parietes, illud solet usuvenire, reactionem vitalitatis his parietibus inhaerentis esse eo virium gradu quo a solito discrepet. Hinc eadem reactio nunc magis nunc minus prompte suam in successivis assimilationibus animalium ambientium fluidorum influentiam manifestare debet, assimilationes ultra vel citra normalem regulam ducendo. Haec animalia fluida suis in assimilationibus alterata servari moderate possunt eo modo quo quotidiana, quam innuimus, mutatio, novo causata absorpto chilo prompte in ordinem restituitur. Hoc casu haec mutata fluida eorum impressionibus vel insolitis vel saltem viribus solito diversis potius ad varios

morbos aptitudinem causantur servantque, quum vere morbi appellari possint, et variae ipsae aptitudines, morbosas, uti ajunt, diatheses constituunt. At quum fluida ambientia animalia adeo alterantur, ut praeponderantibus eorum impressionibus dare possint originem reactionibus alteratis vitalitatis in parietibus inhaerentis cavitatum cordis vasorumque, absque, ut ita dicam, ministerio impressionum per nervos iisdem parietibus transmissarum, tunc haec irregularis reactio symptomata exhibet, quae inordinationem produnt functionum vascularis systematis, et ii morbi qui interni et universales dicuntur, ab ipsis constituuntur symptomatibus. Externa eorum occasionalis causa agit contra interiorem superficiem cavitatum vasorumque, quae unam constituunt cavitatem continuatam, sed extensam in quibusque partibus vel minimis, et symptomata, data proportione, per totum corpus manifestantur. Ipso temporis puncto, quo hae mutationes in fluidorum ambientium assimilationibus eo perveniunt, ut nervea symptomata haberi possint tamquam illis solum accessoria, quae systematis vascularis functionum inordinationem significent, tunc morbi incipiunt interni seu universales. Verum isti prompte cessare nequeunt, sublatis causis occasionalibus externis, vel insolitis, vel virium gradu agentibus solito diversis, quemadmodum de morbis diximus, qui ad nervos solummodo referuntur. Hoc casu, ut causa externa occasionalis tollatur, aliud effici nequit, nisi sensim ordinare seriem assimilationum successivarum fluidorum circulantium, ut in norma-

lem eorum compositionem restituantur; et hoc fieri debet a primis statim alimentorum assimilationibus, novorumque fluidorum, quae vel ab ipsis ministrantur alimentis, vel a vasis lymphaticis absorbentur in diversis internis vel externis superficiebus usque ad excretiones, quibus evacuantur alimenta humoresque, qui regularem assimilationem vel praetergrediuntur, vel ad ipsam pervenire non valent.

Monendum nunc est, alterationem in circulantium humorum assimilatione, quum eo pervenit, ut ipsorum humorum impressiones valeant ad gignendum symptomata inordinationem functionum vascularis systematis promentia, ac propterea ad originem morbo cuilibet dandam interno et universali, perseverare debere et progredi, ideoque efficere morbi incrementum usque dum fluidorum inordinata absorptio proportionaliter se habeat cum eorum expulsione, quo casu eodem statu morbus perseverat. Quum vero absorptio fluidorum inordinatorum minor est expulsione fluidorum immissorum vel intus formatorum, tunc morbus decrescit, tandemque cessat, quum fluida circulantia ad ordinatas successivas eorum assimilationes reducuntur. His igitur in morbis stadia habentur accessus, incrementi, status, decrementi et cessationis, quae excretione aliqua insolita fit manifesta, quaeque id constituit quod crisis appellatur. Sed in istis morbis ordinari tantum possunt ac debent successiva haec stadia, impediendo fluidorum insolitorum, vel in eorum compositione irregularium, absorptionem et expulsionem magis

promovendo eorum, quae jam immissa vel irregulariter sunt formata. Haec expulsio et haec crisis efficiuntur augendo naturalem aliquam excretionem, aut accumulando ipsos humores in partem aliquam, in qua ascessus formatur, quo aperto novum fit organum excretorium, seu quibusdam in casibus gangraena efficitur, in qua humores assimilationis metam praetergredientes congregantur, et limites partium integrarum ab illa distinguit, quae separari debet, ut fluida alterata illinc collecta nequeant absorberi, nec in circulationem ferri.

Per me dicere non valeo, an quaedam internorum universaliumque morborum in eorum progressu similitudo id effecerit, ut omnes inter morbos inflammatorios recenserentur plus minusve intensos, et ab excessu vel defectu pendentes virium stimulorum, qui vitae vires ad agendum excitant. Ex hoc fortasse factum est, ut horum morborum cura sita fuerit in usu contrastimulantium ac deprimentium, aut in usu stimulantium et excitantium. Nimis vero auderem, si hoc vellem investigare: id mihi satis erit, si Physiologiae scientiae tenens doctrinam, qua a praeclarissimo Professore nobis humani corporis functiones perspicuitate ac evidentia, supra quam nulla dari possit, demonstratae sunt, ac ab ipsis documentis has pauculas deducens de causis morborum observationes aliquo modo lumen Practicis valeam afferre.

THESES

I.

Typhus quandoque sponte evolvi potest in animalis oeconomiae processu, quin a contagii communicatione originem habeat.

II.

Epilepsia plerumque a verminatione repetenda.

III.

A sola conditione pulsuum febris essentia inferri minime potest.

IV.

Superfetatio dari potest.